

## CASUS MORALIS

## DE ABUSU MATRIMONII ET DE HYSTERECTOMIA

SOPHIA, 28 annos nata, non absque maximo periculo vitae suae in lucem dedit filium suum tertio genitum. Periculi causa fuit et est status morbosus uteri. Medicus, catholicus quidem, Sophiam instantissime monet de absoluta necessitate aut vitandi aliam praegnationem aut extirpationem uteri peragendi, quia secus mors certa pro illa habetur.

Matthaeus, vir Sophiae, cupiens uxorem suam vivam servare, actus conjugales tantum imperfectos cum illa perficit. Factus poenitens Matthaeus haec omnia Homobono confessario dicit, qui confessarius poenitenti auxilio venire desiderans, declarat hisce in rerum adiunctis nullum adesse peccatum si ipse Matthaeus bis vel ter in hebdomada actum conjugalem inciperet et abrumperet sine seminatione etsi ipse sciret fere semper pollutionem esse secuturam dummodo ipsam non intenderet.

Accidit tamen ut decursu temporis Sophia iterum praegnans evadat. Idem medicus, de quo supra, ad servandam vitam matris, omni alia via deficiente, ad hysterectomiam recurrit. Operatione peracta, et quidem cum felici exitu, actum conjugalem cum viro suo, sine ullo timore, peragit.

## QUAERITUR

- I. Quid imprimis de modo ratiocinandi Homoboni confessarii dicendum sit.
- II. Utrum extirpatio uteri, sive ante sive ultima praegnatione durante, Sophiae licita evadat.
- III. Utrum Sophia, operatione peracta, actum conjugalem cum viro suo licite peragere possit.

## SOLUTIO

AD I. Agitur hic de actibus mutuis imperfectis conjugum. Ut rectum responsum detur sciendum est imprimis num omnes actus mutui imperfecti coniugibus liciti sint. Moralistae<sup>1</sup> distinguunt:

(a) Si actus mutui imperfecti uti aspectus, tactus, oscula, amplexus, colloquia et alii minus pudici obiter facti exercentur in ordine ad copulam perfectius et delectabilius nunc habendam, liciti sunt coniugibus

<sup>1</sup> Aertnys J. Damen C. A., C.S.S.R., *Theologia Moralis*, II, ed. xiv, n. 913; Merkelbach H., O.P., *Quaestiones de Castitate et Luxuria*, Liege — Paris 1926, p. 91; Noldin H., S.J., *De Sexto et Nono praecepto*, ed. xviii, n. 94.

quia tamquam preparatio et inchoatio ad finem considerantur. Utique omnis diligentia habenda est in casu ne semen extra vaginam emittatur et si fortuito casu pollutio sequatur conjugēs consentire non debent delectationi.

(b) Imo et isti actus omni culpa carent si sine periculo pollutionis fiunt ex alio fine honesto puta ad fovendum mutuum amorem. Status enim coniugalīs sicut copulam reddit licitam ita etiam actus imperfectos. Ne tunc propter instantem pollutionem coniuges actum coniugalem exercere coguntur, dummodo consensus periculum in pollutionem removeatur.

(c) Si vero illi actus mutui exercentur ob solam voluptatem, sine utique periculo proximo pollutionis, illiciti evadunt sed non excedunt culpam venialem. Ratio est quia, etsi fine naturali et debito priventur, sunt actus solummodo excessivi usus rei licitae.

(d) Tandem si actus mutui imperfecti sunt per se et omnino proxime procurantes delectationem sativeam seu pollutionem vel qui cum moraliter certa pollutione in alterutro conjuncti sunt, sub gravi conjugibus prohibentur. Ratio patet. Etenim si pollutio peccatum mortale est, ita etiam causa posita quae per se et notabiliter illam concitat nisi saltem in iis adjunctis ponatur ubi conjugēs copulationem conjugalem exercere possint et velint.

His positīs et bene consideratis statim apparet quam erroneum fuit consilium Homoboni Matthaeo datum. Nonne imprimis confessarius distinguere debuerat ea quae licita sunt ab illis illicitis conjugibus? Et ubinam Homobonus didicit actum conjugalem incipere et abruptum sine seminatione ex quo actu praevidetur fere semper pollutionem secuturam esse licitum evadere? Et quaenam causa excusare posset ab illis actibus ita turpibus ut vix sine pollutione fiant quando conjugēs nequeunt vel nolunt copulam perfectam habere? Audiamus Merkelbach<sup>2</sup> quoad rem: 'E contra nequit admitti, quod aliqui dixerunt: conjugēs qui prolem multiplicare nolunt, posse ad mutuum amorem fovendum, concupiscentiam sedandam, vel compensandum matrimonii usum, inchoationem copulae etiam per vaginae penetrationem exercere ad modum actus imperfecti quem ad consummationem perducere nolunt; et quidem licite, etiam si pollutio non solum raro, verum et frequenter inde oriatur, dummodo ipsi non consentiant'. Pollutio conjugum estne forsā minus illicita quam solutis? Nonne ideo onanismo est aequiparandus actus conjugalīs ab Homobono descriptus atque commendatus? Excusatne status morbosus uterī vel negatio consensus in pollutionem praevisam? Ad quaestionem enim quid sentiendum sit de opinione quae tenet 'ob rationes honestas conjugibus uti licere matrimonio eo modo quo usus est Onan', die 21 Maji, 1851, S.O. respondit: 'Propositionem esse scandalosam, erroneam

<sup>2</sup> Merkelbach, op.cit., p. 98, 5).

et juri naturali contrariam'. Et iterum ad quaestionem 'An usus imperfectus Matrimonii, sive onanistice sive condomitice fiat, sit licitus', die 6 Aprilis, 1853, respondit: 'Negative, est enim intrinsece malus'.<sup>3</sup> Et Pius XI in suis litteris encyclicis *Casti Connubii* promulgavit: 'quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari'.<sup>4</sup>

AD II. (A) *Ante praegnationem*. Moralistae omnes docent mutilationem suipsius vel aliorum illicitam esse nisi saltem necessaria sit ad vitam salvandam. Ratio primi est quia si nullus homo est dominus vitae suae, ita nec membrorum; et ratio secundi est quia pars ordinatur ad totum et ideo pars toti postponenda est. Igitur extirpatio uteri, quae est gravis mutilatio, illicita est Sophiae. Sed nonne, quis diceret, hic agitur de utero morbozo maximo periculo pro vita Sophiae pleno? Utique, sed ubinam praecise ponendum est periculum vitae Sophiae, in ipso utero morbozo vel in praegnatione si secuta sit? Uti clare ex casu constat medicus commendat extirpationem uteri ne grvida evadat Sophia quia secus mors certa sequitur. Causa ergo mortis est praegnatio et non status morbozus uteri. Igitur extirpatio uteri morbozi non est per se necessaria ad salvandam Sophiam a morte certa aut a gravioribus aegritudinibus aut doloribus. Hic tantum agitur de ablatione uteri utique non ex omni parte boni, sed vitae Sophiae non nocivi. Neque agitur de aliqua operatione necessaria aut utili ad reddendam Sophiam magis idoneam ad actum conjugalem sicuti a natura requisitum peragendum. Etenim actus conjugalium cum vel sine extirpatione uteri perfecte a Sophia peragi potest.

Totum igitur periculum pro vita Sophiae consistit in iis quae actu conjugali sequuntur, scilicet ex evolutione foetus in utero morbozo concepti. Re quidem vera medicus, ne hoc sequatur, alternative commendat sterilizationem in muliere ut maritaliter vivere possit sine ullo periculo. Sed qui directe inducit sterilitatem male facit.<sup>5</sup> Ergo sive medicus qui commendat sive Sophia quae recurrit aut acceptat consilium medici male faciunt quia ut eveniant bona ad mala media recurrunt quod nunquam licitum est.<sup>6</sup>

<sup>3</sup> Hartman — Batzill, O.S.B., *Decisiones S.S. De usu et abusu matrimonii*, Taurini 1937, pp. 15, 16; Boschi A., S.J., *Nuove questioni matrimoniali*, Marietti 1950, ed. iii, pp. 101-2.

<sup>4</sup> A.A.S., 1930, p. 560.

<sup>5</sup> Cfr. P. Tabone, O.F.M., *Human Sterilization*, Progress Press 1950, n. 5.

<sup>6</sup> Ad Rom. 3, 8. Cf. etiam Bender, O.P., in *Angelicum* XXX (1953), pp. 273-80. Fatemur paucos moralistas uti Ford, Kelly, Conney et Paquin tenere potius opinionem contrariam. Sed adjungimus argumenta eorum, salva reverentia, non convincere ne dicamus minus correcta. Cf. *The Clergy Review*, XLI (1950), no. 8, p. 485.

(B) *Praegnatione durante*. Juxta opinionem medici, uti patet ex casu, nulla alia via habetur ad matrem salvandam nisi hysterectomia mediante. Per hanc autem operationem chirurgicam foetus una simul cum utero extrahitur et si viabilis non est certo moritur; est ergo abortus. Nunc quaestio venit utrum abortus in casu nostro licitus sit necne.

Imprimis moralistae distinguunt abortum directum et abortum indirectum. Primus habetur si media adhibentur eo fine ut foetus expellatur; secundus si media adhibentur in alium finem etsi ex ipsis provideatur abortus secuturus. Abortus directus nunquam licitus esse potest cum id idem esset directe occidere hominem quod numquam licet; indirectus, juxta principium de duplici effectu, licitus est quia in casu actio bona est vel saltem indifferens, effectus bonus qui intenditur antecedit vel saltem concomitatur effectum malum qui permittitur et habetur causa proportionata gravis hunc finem permittendi.<sup>7</sup>

His positis redeamus ad nostram quaestionem. Estne scilicet licita hysterectomia in casu proposito? Si medicus mortem certam matris praevidet non praecise orituram ex utero morbo sed ex alia aegritudine puta phtisi vel debilitate cardiaca, certum est non licere hysterectomiam peragere etsi mater in certo vitae periculo versetur nec aliud medium existat ad matrem salvandam quam per procurationem abortus. Hoc enim nil aliud esset nisi abortus directus. Sed si infirmitas uteri, praegnationis causa, ita creverit ut ipse uterus nunc fieret causa principalis periculi mortis Sophiae, uti accidit generatim per tumorem malignum, moralistae non concordant inter se. Pater Gemelli et Mancini negant liceitatem hysterectomiae in casu, quia operatio chirurgica haec non constituit abortum indirectum sed directum cum effectus malus (mors foetus) non contingat saltem eodem tempore effectus boni (sanitatis matris) sed praecedit.<sup>8</sup> Alii vero censent hysterectomiam pro abortu indirecto habendam esse, ideoque eam licitam pronunciant cum medium unicum sit matris vitae servandae, secus periturae. Huius sententiae praecipuus patronus est Vermeersch<sup>9</sup> cui adhaeret Janssen<sup>10</sup> et Kelly.<sup>11</sup> Piscetta-Gennaro

<sup>7</sup> Noldin H., *De Praeceptis*, ed. xxxi (1957), nn. 342-3. Cfr. etiam P. Tabone, O.F.M., in *Scientia*, XI (1945), pp. 27-37.

<sup>8</sup> 'Nemmeno in quei casi — praticamente eccezionali — in cui l'ostetrico ritenesse necessario un (aborto) che, d'altra parte, la sua coscienza di cattolico condannerebbe, gli sarebbe lecito interrompere la gravidanza, ma dovrebbe ricorrere a tutte le possibili risorse sanitarie per salvare la madre rispettandone, al tempo stesso, il figlio in corso di gestazione. E se la gestante o qualche familiare o il medico di casa chiedono insistentemente l'a. terapeutico, l'ostetrico dovrà ritirarsi e non gli è consentito collaborare all'intervento abortivo neppure con consigli tecnici'. Ita *Dizionario di Teologia Morale*, Ed. Studium, Roma, ed. 2, 1957 ad v. *isterectomia*.

<sup>9</sup> *Periodica* etc., 1932, pp. 101-6; 1934, pp. 193-6.

<sup>10</sup> *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, 1934, pp. 552-61; 1935, pp. 335-49.

ita sentit quoad quaestionem: 'Urgente mortis periculo, probabiliter licita est praegnantis hysterectomia, seu ablatio morbidi uteri, cum unicum medium est servandae vitae matris, licet exinde foetus mors sequatur'.<sup>12</sup> Et concludit: 'Quaestio adhuc sub iudice est; ideoque, donec authentica declaratio data non fuerit, cuique integrum est sententiam, quam maluerit, sequi'.<sup>13</sup>

AD III. Quaestio habetur inter moralistas et canonistas utrum mulier recisa vel excisa impotens sit quoad matrimonium contrahendum. Sententia communior atque verior est illa quae tenet mulierem excisam aequiparari mulieri sterili. Sterilitas autem neque dirimit neque impedit matrimonium.<sup>14</sup> Ad conjugatos autem quod attinet, uti in nostro casu, quaestio oriri potest num uxor recisa uti licite possit iuribus matrimonialibus. Si talis uxor impotens redditur ad copulam per se aptam ad prolis generationem peragendam, tunc licite uti non potest iuribus suis. Sed si nonobstante hysterectomia, etsi voluntaria, vagina uxoris remanet integra, siue ipsa uxor siue maritus licite possunt coitum peragere. Ergo si nonobstante operatione chirurgica, vagina Sophiae apta remansit ad copulam perfectam peragendam, etsi nunc reddita sit uti dicunt 'saccus clausus', potest Sophia licite actum conjugalem peragere. Actus enim conjugalis in casu substantialiter integer est quamvis sterilis ex parte mulieris.<sup>15</sup> Sterilitas autem certe matrimonii usum non impedit.<sup>16</sup> Defectus enim in organo femineis postvaginalibus subsequens est ad copulam quae perficitur in vagina, ideoque eidem extrinsecus.

A. TABONE

<sup>12</sup> *Medico-Moral Problems*, Dublin 1955, pp. 279-82.

<sup>13</sup> *Elementa Theologiae Moralis*, III, (ed. vi), n. 227.

<sup>14</sup> Piscetta-Gennaro, loc. et n. cit. Cfr. etiam *Perfice Munus*, 1937 (a. xii), p. 83.

<sup>15</sup> Canon 1068, § 3.

<sup>16</sup> Bender, O.P., in *Angelicum*, XXX (1953), p. 280. Cfr. etiam P. Tabone, O.F.M., *Human Sterilization*, Progress Press 1950, p. 18.

<sup>17</sup> Gasparri R., *De Matrimonio*, 1932, II, n. 1088.